DE

CONTAGIO OPHTHALMIAE NEONATORUM.

DISSERTATIO
INAUGURALIS MEDICA,
QUAM
CONSENSU ET AUCTORITATE
GRATIOSI MEDICORUM ORDINIS
IN
UNIVERSITATE LITERARIA BEROLINENSI,
UT SUMMI
IN MEDICINA ET CHIRURGIA HONORES
RITE SIBI CONCEDANTUR,

DIE V. M. NOVEMBRIS A. MDCCCXXVII.
H. L. Q. S.

PUBLICE DEFENDET

AUCTOR
AUG. ADOLPHUS SEEMANN,
LITHUANICO-BORUSSUS.

OPPONENTIBUS:

FR. J. BEHREND, MED. ET CHIRURG. DR.,
W. N. HILSENBERG, MED. ET CHIRURG. DD.,
FR. C. MARSCH, MED. ET CHIRURG. CAND.

BEROLINI,
TYPIS AUGUSTI PETSCHII.

PATRI OPTIMO

SAMUELI SEEMANN,

CONSILIARIO PROVINCIAE,

HASCE

LITERARUM PRIMITIAS

GRATO ET PIO ANIMO

D. D. D.

AUCTOR.

PROOEMIUM.

More institutoque majorum pro summis medicinae et chirurgiae honoribus adipiscendis specimen medicum in vulgum edere jussus, de contagio ophthalmiae, quam dicunt neonatorum, scribendi consilium cepi. Quanta ac qualis sit haec res mihi proposita, quam subtile ambiguumque sim argumentum aggressus, e magna librorum, opusculorum hac de quaestione conscriptorum, sententiarumque discrepantium copia tibi persuadeas. Huic turbae, si plerisque commentariis ac commentariolis collatis, observatione consulta atque experimentis nonnullis factis, quandam possem affundere lucem, lucubrationes meas operae dignas existimarem. Maximum vero

hujus libelli studium Illustrissimo *Kluge,* praeceptori pie colendo, debeo, qui mihi juveniles vires in tanta molimina ex consilio direxit et cum maxima comitate multifaria argumenta suppeditavit. Vereor tamen, ne ego, cui tenue nonnisi est ingenium, meis viribus nimis confidens, illius viri fidem benignam sequentibus destituerim, Lectorisque honorati spem a titulo excitatam fefellerim.

§. 1.

Introductio. Ex quo tempore de neonatorum ophthalmia medici verba facere inceperunt, multae et maxime inter se discrepantes res in medium sunt prolatae. Quarum et de origine et de natura et de causis curandique ratione sententiarum maxima copia, proximis saeculi praeteriti annis ex industria studioque hujus morbi illustrandi orta, me, cui de natura ophthalmiae neonatorum conscribendi est conamen, ab hoc argumento deterruisset, nisi spes a tironis specimine magnas res expectari non posse affulsisset.

§. 2.

Nomen. Rem quamcunque laute illustrandam nomine certo distinctoque maxime juvari, nemo negabit, si denominatione sola, rem ipsam saepe definiri, intellexerit; ne itaque mihi, L. B., irascaris, qui de hujus morbi nominandi ratione quaedam afferam. Id enim propterea necessarium existimo, quod *Storch* [1]) in dissertatione sua nuperrime edita nomen hocce opthalmiae a *Reilio* [2]) impertitum et vituperare et tanquam „perquam" adhibitum repudiare ausus est. His vero verbis utitur auctor ille: „quum plerisque in exemplis modo palpebrae earumque tunica conjunctiva laboret, rarius oculus ipse per consensum afficiatur". — Veteres autem sub voce

---

[1]) ***Storch,*** Dissertat. inaug. de neonatorum blepharoblennorrhoea. Berolini 1826.

[2]) ***Reil,*** Memorabilium clinicor. medico-pract. Vol. I. Fasc. I. Halae 1790. pag. 105.

ophthalmiae id intellexerunt, quod posteri lippitudine significabant [1]; quum autem et recentiores auctores non eam modo inflammationem, quae partes externas bulbo oculi proximas, sed quae finitimas etiam aggressa est, ophthalmiam nominare soleant, opinio, hoc nomen isti infantum morbo oculari minime convenire, singularis atque absona videatur oportet. In aliam vero sententiam abit *J. A. Schmidt* [2], qui quum hunc morbum non infantes solos, sed adultos etiam corripere sibi persuaserit, ophthalmiae nomen non rejecit, neonatorum vero epitheton non accepit. Respiciens vero, quotquot libri scriptaque ac quales auctores hac denominatione, ophthalmia nimirum neonatorum, sint usi, quin et ego in sequentibus pagellis eodem hoc nomine utar, haud possum.

§. 3.

Definitio morbi. Quaestioni propositae diligenter absolvendae necesse est, ut de hujus morbi indole nonnulla alligentur, anteaquam de ophthalmiae vi inficiendi verba faciam. Te igitur non taedeat, L. B., descriptionem ophthalmiae neonatorum sequentibus prolatam audire. Manifestatur ophthalmia neonatorum quatuor primis hebdomadibus inflammatione primum glandulas *Meibomianas* tentante, tum postquam latius serpserit, integumenta quoque, quibus illae glandulae sunt obducta, irritante. Hac ex causa non palpebrarum modo, sed scleroticae conjunctivam inflammatam, imo corneam infestatam mox videbis. Tres igitur hujus inflammationis gradus ab Illstr. *Benedict* [3]) primo expositi et: „blepha-

---

[1]) *L. A. Kraus*, Kritisch etymologisches medicinisches Lexicon, 2. Aufl. Göttingen 1826. pag. 553.

[2]) Ophthalmolog. Biblioth. von *Himly* u. *J. A. Schmidt.* 1806. 3. Bd. 2. St. pag. 109.

[3]) *W. G. Benedict* Handbuch der prakt. Augenheilkunde. Leipzig 1823. 2. Bd. pag. 37.

rophthalmia glandulosa (inflammatione glandularum *Meibom.)*, blepharoblennorrhoea et ophthalmoblennorrhoea" designati observationi respondent morbi. Nomina blepharoblennorrhoeae et ophthalmoblennorrhoeae sunt derivata a profluvio muci, cujus fontes conjunctivae palpebrarum et conjunctivae scleroticae insidere creduntur. Muco scaturienti maxima partium praesertim conjunctivae membranae in luxuriem quandam dispositio magnopere favet. Haec ceteraque hujus mali symptomata iiscum symptomatibus istius ophthalmiae, quam Illustr. *Rust* [1]) magno studio sub nomine ophthalmiae Aegyptiacae illustravit, atque istius oculorum morbi, quem de *Walther* [2]) ophthalmiam contagiosam κατ᾽ ἐξοχὴν nominavit, tanta utitur similitudine, ut Celeb. *Baltz* [3]), alterum alterum morbum uti alteram aquae guttam alteram aequiparare, dicat, utque Fabini [4]) porro contendat, nullum valere inter hanc neonatorum et Aegyptiacam ophthalmiam discrimen, nisi alterutrius symptomata majori minorive corporis firmitate conditioneque aliquantulum mutata, propria induantur specie. Quas sententias multis verbis aut oppugnare aut probare neque operae pretium nec meum esse arbitratus, indiciaque, quae apud auctores de vi ophthalmiae inficiente leguntur, secutus, hoc notatu dignum existimo, quod et huic morbo contagium quoddam abjudicari nequeat.

---

[1]) *J. N. Rust*, Die Aegyptische Augenentzündung unter d. Königl. Preuſs. Besatzung in Mainz. Berlin 1820.

[2]) Journal der Chirurgie und Augenheilkunde von *Gräfe* und *v. Walther*. Berlin 1821. 2. Bd. pag. 38.

[3]) *Th. Fr. Baltz*, Ueber die Entstehung, Beschaffenheit u. zweckmäſsige Behandlung der Aug-Entzündung, welche unter den Soldaten mehrerer europäischen Armeen geherrscht hat. 1824. §. 83.

[4]) *Fabini*, Doctrina de morbis oculorum. Pesthini 1823. §. 190.

§. 4.

Aetiologia. De causis ophthalmiae neonatorum sententiae auctorum, etsi inter se maxime dissentiant, omnes tamen hac in re conveniunt, morbo provocando multifariis causis, quarum saepe plures eodem tempore coëfficiant, suum conferre. Quot quaecunque sint ophthalmiae infantum causae, quantum valeant, nullius rei causalis in hoc libello habebo nisi contagii rationem, quod a multis auctoribus, de istius morbi aetiologia disserentibus, omissum vel repudiatum esse, haud raro miratus sum.

§. 5.

Auctores, qui contagium negant, dubitant vel negligunt. Plures recentioris temporis scriptores nullam hujus rei mentionem injiciunt, quorum e numero *Carus* [1]) quoque et *Henke* [2]), qui propriam aëris constitutionem ad morbum provocandum multum conferre, experientia duce asseverat. *Wendt* [3]) praeterea in eandem abit sententiam, qui constitutionem annuam singularem in hoc malum vim exercere, contendit. Tacent quoque hac de re *Weller*, *Meiſsner* [4]) ac complures, quae proximis temporibus in lucem prodierunt, dissertationes [5]). *Beck* [6]), quam-

---

[1]) *Carus*, Lehrbuch der Gynaecologie, Leipz. 1820. 2. Bd. pag. 621.

[2]) *Henke*, Handbuch zur Erkenntniſs u. Heilung der Kinderkrankheiten. Frankf. a. M. 1. Bd. pag. 246.

[3]) *J. Wendt*, Die Kinderkrankheiten, systematisch dargestellt. Breslau u. Leipzig 1822. pag. 113.

[4]) *C. H. Weller*, Die Krankheiten des menschlichen Auges. 3. Ausg. Berlin 1826. pag. 45.

Meiſsner, Forschungen des neunzehnten Jahrhunderts im Gebiete der Geburtshülfe etc. Leipzig 1826. 3. Bd.

[5]) *Storch* l. c.

Mercklinghaus, Dissertat. inaug. de blepharoblennorrhoea neonatorum. Berolini 1826.

[6]) *L. J. Beck*, Handbuch der Augenheilkunde. Heidelberg 1823. pag. 60.

quam malum contagiosum esse pernegavit, tamen eodem fere loco, mucum scaturientem principio tam acri esse indutum, qui, experimentis *Jaegeri* probatis, caustici remedii vi leviores inflammationes blennorrhoicas efficiat, arbitratur. Morbum hunc, si quando res externae conditionesque adnuant, contagiosam indolem nunquam non sibi arrogare, quod medici nonnulli, *Benedict* nimirum, *Helling* et *Heyfelder* adseverent, quod tamen haec res adhuc anceps sciscitatori diligentiori studiosoque indigeat, dissertatio [1]) nuperrime edita confitetur, hisce verbis pergens; „nam quod ophthalmia interdum in institutis celerrime propagatur et malignam naturam assumit, inde fieri potest, quod neonati, qui eodem morbo corripiuntur, iisdem viribus nocentibus, v. c. aëri perquam depravato, expositi erant."

§. 6.

Auctores, qui contagium agnoscunt et observationes. Sunt autem permulti (quos illa dissertatio tacitos relinquit), qui, exemplis atque argumentis firmis contagium huic neonatorum morbo esse, probare conentur, aliique, qui, argumentis praetermissis, vim istius ophthalmiae contagiosam neutiquam dubitandam, sed magnopere firmatam esse, existiment. Quorum ophthalmiatros laudo celeberrimos *Helling* [2]), *Benedict* [3]), *Fabini* [4]), *de Graefe* [5]), *S. Coo-*

---

[1]) *J. Henschel*, Dissertat. inaug. de Ophthalmia neonatorum. Berolini 1827. pag. 21.

[2]) *Helling*, Praktisches Handbuch der Augenkrankh. 1821. 1. Bd. pag. 112.

[3]) *Benedict*, l. c. pag. 36.

[4]) *Fabini*, l. c. §. 191.

[5]) *C. F. Graefe*, Die epidemisch-contagiöse Augenblennorrhoe Aegyptens in den europäischen Befreiungsheeren. Berlin 1823. §. 105. et §. 159.

per [1]), *Schmalz* [2]), *Heyfelder* [3]), medicos praestantissimos, quibus, quamvis exemplis hunc in finem prolatis speciatim non nitantur, de contagio morbi infantum ocularis existente sermo est. Quemadmodum sit hujus mali vis contagiosa firmata e litteris [4]) a Professore *Kluge*, praeceptore dignissimo, ad Illustr. *Mende* mandatis videas, ubi nutricis cujusdam, quae mucum, oculis neonati ophthalmia laborantis emissum, suo oculo ipsa sponte inflixit, tanta inflammatione correptae, ut destructio bulbi totalis sit secuta, historia enarratur. Ne credas, syphiliticum vel aliud quoddam venenum contagiosum hunc in casum influxisse, quoniam neque in matre neque in infantulo ullum syphilidis vestigium apparuit. Hanc observationem sequens Illustr. *Kluge*, gravem hujus morbi indolem contagiosam denuo ac laute firmatam esse, sibi persuasit. Cui judicio Illustr. *Mende*, idem sentiens, quod, si quando unus hoc morbo aegrotet infans, plures simul prosternantur, se animadvertisse, addit. Suffragatur etiam Illustr. *Joerg* [5]), docens, ophthalmiam neonatorum, muco oculari in infantum sanorum oculos translato, propagari et hac ex causa infectionem in cubiculis puerperarum, ubi una spongia omnes infantes haud raro laventur, saepissime fieri. Neque aliud judicium Celeberr. *Jüngken*, praeceptor

---

[1]) ***S. Cooper***, Neuestes Handbuch der Chirurgie, aus dem Engl. von ***v. Froriep***. Weimar 1824. 4. Bd. 3. Abth. p. 703.

[2]) ***K. G. Schmalz***, Versuch einer medicinisch-chirurgischen Diagnostik. 4. Aufl. Berlin 1825. Nr. 571.

[3]) ***Heyfelder***, Beobachtungen über die Krankheiten der Neugebornen. Leipzig 1825. pag. 75.

[4]) ***Mende***, Beobachtungen und Bemerkungen aus der Geburtshülfe. 3. Bd. 1826. pag. 327 et 328.

[5]) ***J. Ch. G. Joerg***, Ueber das physiologische und pathologische Leben des Kindes; oder: Handbuch zum Erkennen und Heilen der Kinderkrankheiten. Leipzig 1826. pag. 461.

venerandus, facit, qui, huic ophthalmiae haud mitius, quam ophthalmiae Aegyptiacae contagium inesse, me ipse edocuit.

Quodquod valeant haec observata et argumenta, quae etsi pauca e multis libris atque scriptis collegi, maximi mihi videtur ea contagionis historia habenda, quam relationes mago comii Caritatis clinicae, eaeque, quae mensem Martium proximum exhibent, tibi, L. B., offerunt. Multum hujus commentarioli interest, ut hancce historiam brevibus verbis tibi repetam. In lectum, quo parvuli, ophthalmia neonatoruum affecti, usi erant, sex sanitate optima gaudentes infantes singuli collati, quamvis huic cubili viginti quatuor horis haud diutius infuerant, septimanis quinque vix praeterlapsis, omnes ophthalmia ista ordinatim sunt correpti. Cubiculum, quod dicunt Caritatis secundum puerperarum, prima *Friderica Hecker*, puerpera, cum suo infantulo per octo dies occupans, de infante ab ophthalmia tentato mox dolebat; quam et parvulum emissos *Carolina Grosse*, infantem nutriens, secuta et hunc, isthoc morbo esse aegrotatum, jam pronuntiavit. Eadem ratione ceteri infantes quodam intervallo praeterito singuli succedentes, quorum matres *Charlotta* et *Emilia Franz*, *Johanna Zimmermann* et *Regina Rose* eundem locum tenuerant, hac oculorum aegritudine sunt infestati. Uno quidem eodemque cubili, sed et stragulis et lodiculis et superindumentis pulvillorum optime lautis ac recentibus singulos esse usos hos infantes, res est, quam respicias oportet.

Nullam hujus morbi ortus, nullam hujusce infectionis causam manifestam accusare ex historia licet, nisi quod lectulum infantilem externis quibusdam rationibus nocivis, radiis nimiae lucis, aëri perflanti vel corrupto, vel aliis rebus influentibus expositum fuisse conjectareris, quae tamen rejicerem,

quippe cum in relatione illa commemorata, maximam curam huic rei esse illatam, legerim. Id vero confitetur historia, quartam illarum matrem syphilide, graviditate durante, laborasse, sed ante partum optime invaluisse.

Quibus observationibus eam rem adjicias, quam Illustr. *Kluge* mihi communicavit, se infantem quendam lectulo neonati ophthalmia infecti usum, sed nulli directo ejus infantis contactui expositum, a morbo nihilominus esse correptum, vidisse.

Morbum vero isthunc matribus nutricibusque ipsis, si mammam, qua infantem ophthalmia aegrotatum nutriissent, sanis parvulis praebuerint, propagari, egomet ipse semel vidi; quam rem in instituto Caritatis obstetricio saepius accidisse, obstetrices mihi demonstrarunt. —

§. 7.

Firmatur, contagium exsistere. Quae cum ita sint, sat luculenter, ni fallor, patet, soli squalori, vel illuviei, vel muci secreti contaminationi soli, uti Cel. *Baltz* de ophthalmia, quam dicunt, contagiosa arbitratur [1]), vel acri muci principio [2]) hujus neonatorum morbi, non posse imputari. Quodsi istius sex infantum aegrotatorum exempli supra prolati memineris, ubi de muco infantes directe aggresso nulla erat sermo, utramque hanc sententiam refutatam videbis. Quaerenti autem tibi, cur, si ophthalmiae neonatorum contagium exsistat, adultos non afficiat, Illustr *Benedict* [3]) puerperarum ophthalmiam objicit, effatus, eam, cum saepe simul appareat, contagione videri lactentis infecti oriri. At consideremus, contagium quodcunque, si effectus suos exserat, eundem, minime vero dissimilem,

---

1) *Baltz* l. c. pag. 189.
2) *Beck* l. c.
3) *Benedict* l. c.

provocare morbum, istud exemplum, quod Illustr. *Benedict* opponit, agnosci neutiquam potest, quippe quod ophthalmiam puerperarum aliam morborum speciem, aliam ophthalmiam neonatorum esse, Ill. *Walther* [1]) enixe docet. Causam, cur adulti homines contagio isto non afficiantur, in eo esse positum, credo, quia firmioris ac solidioris constitutionis gratia adulti contagio tam debili, infantibus tenerioribus magis resistere valent. Refutandus etiam auctor dissertationis ille est, qui [2]), cum observationes hucusque factae sufficere non videantur, contagiosam ophthalmiae neonatorum indolem esse non probatam, sed ambiguam et dubitandam, morbum vero celerrime proserpentem externis, aëris v. c., conditionibus imputandum, contendit; nam illi sex infantuli ex eo ordine, quo lectulum infectum tetigerant, minime vero, uti ex sententia auctoris oportuisset, eodem tempore simul correpti sunt.

§. 8.

Origo et causae praedisponentes contagii. Metuente Illustr. de *Walther* [3]), ne ophthalmia contagiosa (Aegyptiaca) in totam Europam importata, quoniam nostris jam temporibus circa Rhenum ophthalmia catarrhalis mera ac pura rarissime appareat, omni ophthalmiae cuicunque suam speciem induat; si autem crederes, et ophthalmiam neonatorum ex ista suam impetivisse indolem peculiarem, perperam judicares, cum in nosodochio caritatis, ubi tot infantes erant ophthalmia afflicti, nullus contagioso illo oculorum morbo ex annis laboraverit, neque

---

[1]) ***Ph. Fr. Walther,*** Abhandlungen aus dem Gebiete der praktischen Medicin, besonders der Chirurgie und Augenheilkunde. Landshut 1810. 1. Bd. pag. 447 et pag. 472

[2]) ***Henschel*** l. c

[3]) Journal der Chirurgie und Augenheilkunde von ***C. F. Graefe*** und ***Ph. v. Walther.*** 1821. 2. Bd. pag. 40.

hac in urbe ullum, ni fallor, hujus morbi vestigium animadvertatur.

Causis externis faventibus, quamque ophthalmoblennorrhoeam crescendo indolem contagiosam posse usurpare, ratiocinatur Illustr. *de Graefe* [1]); qui cum ad ophthalmoblennorrhoeas oculum purulentum, sub qua voce ophthalmiam etiam neonatorum plures auctores intelligunt, adnumerandum esse doceat, contagiosae hujus morbi naturae origo deductu facilis est. — Arridentem hanc sententiam sequens quaestionem, unde hoc contagium nascatur, solvere sum conatus. Sat superque constat, omnes blennorrhoeas contagiosa quadam indole esse imbutas, easque, siquidem causae externae praedisponant, contagium efficax in sanos posse immittere. Ut cujus originis ac naturae evadat hoc assertum contagium enucleetur, vices meas Illustr. *Marx* hisce suppleat: „in explicanda contagiorum vero natura frustra adhuc desudaverunt omnes medici ac pathologi" [2]). Argumentorum atque exemplorum, quae supra allegavi, si rationem habueris, contagium ophthalmiae neonatorum eadem ratione, qua Illustr. *Rust* ophthalmiae Aegyptiacae [3]) contagium prolixe defendit, solo ratiocinio adseverare jam potes. Quod contagium in aliorum contagiorum modum tum demum tristes exhibet effectus, si quando conditiones externae, causae nocivae, aër nimirum exhalantibus atque evaporantibus hominibus, aliisve rebus depravatus, tempestas humida, coelique temperies humida et calida, illuvies aliaque morbosum statum foverint. Quanti haec in ophthalmiam neonatorum provocandam sint habenda, ex eo videas, quod

---

[1]) *de Graefe* l. c.

[2]) *C. F. H. Marx*, Origines contagii. Caroliruhae et Badae 1824. pag. 28.

[3]) *Rust* l. c. pag. 83.

quod *Selle* [1]) vapores lochiorum, Illustr. *Beer* [2]) aërem corruptum, infantes ambientem, posse jam solos morbum producere, insimulent. Notatu dignissima observatio illa videtur, qua Illustr. *Kluge* primus docuit, vapores exhalatos sub panno linteo, caput infantis obtegente, coactos aestumque hac ratione auctum vel pulvillos plumis repletos, qui infantis perperam collocati faciem fere totam involverint, ophthalmiam generasse, eamque in consociatos parvulos transtulisse. Quibus observatis sententiae Illustr. *de Graefe* et *Heyfelder* [3]) perquam probantur.

§. 9.

Contagii indoles et sedes. Experientia sola duce, omnia, quae de contagii hujus ophthalmiae non negandi ratione sint observata, me animo, nulla hypothesi occupato, verbisque inaffectatis recitare opus est. Materiei concretiori, muco aliisve animalibus ac vegetabilibus stubstantiis palpabilibus inhaerens contagium in sanos transferri, jure dicitur. Quod tantum abest, ut muco solo oculos aggresso, syphilidis vel vaccinellorum venenis simili, morbus provocetur, ut aëri communicante prolatum contagium e distantia potius effectus suos exserat. Utrum solo stadio hujus morbi, quod dicunt blennorrhoico, an caeteris etiam stadiis efficax gigneretur contagium, certamen observatio nondum diremit. Verum enimvero, si ophthalmiae Aegyptiaccae, cujus et infantum ophthalmiae maxima videtur similitudo, rationem habueris, sententiae et caeteris stadiis posse contagium generari, suffrageris necesse est [4]).

---

1) **Sellii** liber de curandis hominum morbis. Edit. **C. Sprengelii.** Berolini 1798. pag. 387.

2) *G. J. Beer*, Lehre von den Augenkrankheiten 1813. 1. Bd. pag. 317.

3) ***Heyfelder*** l. c.

4) Alia huc pertinentia vide sub §. 11.

§. 10.

Contagii in decursum morbi effectus. Ophthalmiam infantum contagione natam atque ophthalmiam neonatorum suopte nisu aliisque causis accedentibus ortam iisdem signis ac phaenomenis, sed multo vehementioribus manifestari eodemque decursu uti, observatione, quam de nutrice quadam affecta ejusque morbi eventu miserrimo Illustr. *Mende* [1]) promulgavit, tum iis exemplis, quae de pluribus infantulis aegrotatis ego protuli, sàtis docemur. Unum illud exemplum prostat, quo, postquam *Jaeger*, ut pannum corneae quendam sanaret, huncce muco neonati ophthalmia laborantis profluxo, polluerat, blennorrhoea, *Beckio* [2]) auctore, mitior est secuta.

§. 11.

Comparatio ophthalmiae Aegyptiacae atque ophthalmiae neonatorum contagii. Comparando sententias hac de re diversissimas pedetentim sequens, experientiae soli fidem habebo.

1) Prima est sententia, qua morbum ocularem Aegyptiacum tanquam prioribus temporibus semel procreatum, nondum exstinctum, perenne adhuc perdurare, et contagio interdum emisso denuo, ut videatur, recreari hominesque tentare, multi judicavere auctores [3]). A qua sententia alii medici [4]) ab-

---

[1]) *Mende* l. c.

[2]) *Beck* l. c.

[3]) *Omodei* Cenni sull ottalmia contagiosa e sulla propagazione in Italia. Milano 1816.

Adams vide *Graefe's* und *v. Walther's* Journal der Chirurgie und Augenheilkunde. Berl. 1820. 1. Bd. p. 170 et sqq.
Rust l. c. pag. 103. et 150.

J. B. Müller, Erfahrungssätze über die contag. oder aegypt. Augenentzündung. Mainz 1821. pag. 80.

de Walther vide *Graefe* u. *v. Walther's* Journ. etc. 1821. 2. Bd. pag. 110.

[4]) *Desgenettes,* Histoire méd. de l'armée d'Orient. 1. part

horruere, arbitrati, contagium istud causis nociferis, in ophthalmoblennorrhoeam quandam influentibus, recens semper progenitum procedere. Utcunque est, hoc satis constat, contagium ophthalmiae neonatorum esse temporarium, quippe quod, siquidem aëris conditio resque caeterae externae adnuant, ex innocente oculorum blennorrhoea facile generari posse, videatur.

2) Quoad originem inter ophthalmiae Aegyptiacae ophthalmiaeque neonatorum contagia discrimen agnoscimus; alterum enim, quod nomine jam significatur, ad nostrates peregrinatum [1]), alterum indigenum. Sunt [2]) autem, qui et istud, Aegyptiacum dico, suopte nisu apud nos generari contendant.

3) Utriusque contagii vi per distantiam simul ac per contactum efficiendi in nullum dubium vocata, hoc notatu dignum existimo, quod ophthalmia Aegyptiaca morbo oculis infantilibus proprio pertinacius resistat, majorique strenuitate homines frequentet [3]).

4) Utrumque contagium easdem corporis partes, oculos nimirum, corripiens, morbos simillimos vel eosdem progignit. Quotus enim quisque [4]), ophthalmiam Aegyptiacam peculiarem esse morbi speciem, eamque ab aliis ophthalmoblennorrhoeis perquam dissidere crediderit, huic sententiae ne album calculum adjiciamus, et experientia et ratiocinio monemur.

5) Contagium ophthalmiae Aegyptiacae homines cujusvis aetatis tentat, at contagium ophthalmiae neonatorum infantilem nonnisi aetatem aggreditur, si aegros adultos, quibus mucus oculi infantum, ophthalmia laborantium, ipsos oculos polluens inflammationem adtulerit, excipias.

Larrey, Mém. de Chirurgie militaire. T. I. p. 203 et seq.
Assalini, Manuale di Chirurgia. Part. II. Milano 1812.
Vetch, A Practical Treatise on the Diseases of the Eye. London 1820.
de Graefe l. c.

1) *Omodei, Adams, Rust, de Walther* l. c.

2) *Desgenettes, Larrey, Assalini, de Graefe* l. c.

3) *Rust, de Walther, Müller, de Graefe* l. c.

4) v. c. *Rust* vide l. c. pag. 78.
et *de Walther* vide *Graefe* u. *v. Walther* Journ. etc. 2. B. pag. 110.

6) Contagium ophthalmiae Aegyptiacae, aliis membranis mucosis, v. c. urethrali, illatum, blennorrhoeam producere [1]), quod, quamvis experimentis Celeb. *Müller* [2]) negatum est, multi contendunt. De hac contagii ophthalmiae neonatorum ratione experimenta nondum sunt instituta.

7) Bestiarum [3]), canum scilicet atque equorum, conjunctivae palpebrali iste mucus contagiosus inflictus blennorrhoeam excitare fertur; reiterata vero experimenta laudata Celeberr. *Müller* [4]) contraria docuerunt. Ut quaenam esset contagio ophthalmiae neonatorum ratio, luculenter intelligerem, egomet ipse circa hanc rem quaedam enixe molitus sum. Duorum enim canum palpebrali conjunctivae, posteaquam mucum ex oculis neonatorum affectorum desumtum illiveram, oculos liberos atque integros mansisse, observavi. Nullis aliis de tanta re experimentis institutis, ubi mora conditioque faveat, examina circa istius muci hominibus bestiisve inflicti contagionem denuo recipiam.

8) Ratum est, contagium ophthalmiae Aegyptiacae unum eundemque hominem frequentius adire posse [5]); verumtamen de neonatorum ophthalmiae contagium, an pluries eundem possit incessere infantem certi nondum facti, id ex analogia conjectare posse jure videmur.

9) Ophthalmiae Aegyptiacae venenum contagiosum in homine absconditum diu morari posse [6]) ac quando res externae contagionem faveant, tum demum prorumpere manifestarique docent observationes. Alia autem ratione contagium ophthalmiae infantum se habet, quippe quod, infecto neonato, morbus statim ac protinus sequi videatur.

Quibus comparatis, utrique morbo unum idemque esse contagium, idque ophthalmiae Aegyptiacae

---

[1]) vide *Graefe* l. c. §. 67.
[2]) *Müller* l. c. pag. 101.
[3]) vide *Rust* l. c. pag. 131.
de Graefe l. c. §. 67.
[4]) *Müller* l. c. pag. 102.
[5]) *Rust* l. c. pag. 130.
[6]) *Rust* l. c. pag. 127.
de Graefe l. c. §. 68.

conditionibus rebusque nonnisi propriis vehementiores suos effectus debere et hac una ratione ab ophthalmiae neonatorum contagi oesse discernendum, concludere licet. §. 12.

Prophylaxis. Morbus, de quo nobis sermo est, ex materia contagii ipsius translata, in alio quodam posse exoriri, arbitranti tibi Fabinique [1]), qui hujusce ophthalmiae naturam contagiosam minime negat, sequenti consilium haud absonum videbitur, quo Illustr. *Benedict* [2], quamvis ipse epidemiam quandam, ex hujus morbi contagio ortam saepe dubitari, non ignorat, summopere esse contagionem praecavendam, jubet. Sunt plura hanc in rem praecepta, quae omnia, quominus ophthalmiae contagium evolvatur, crescat, latius serpat, sanisque hominibus irrepat, impedire nituntur.

Aër cubiculi ac valetudinarii sit purus, neque consortione, coetuque hominum multorum immundus, neque vaporibus lochiorum, lactis acidi vomitu ejecti, immunditie vestimentorum atque involucrorum, vel siccatis in cubiculo linteis depravatus. Evitentur quam maxime altiores, vel solis vel arte effecti gradus caloris, quo quaeque, ut scimus, aegritudo augetur potius, quam diminuitur, cujusque vis in huncce praecipue morbum [3]) maximi est habenda. A quibus causis nociferis caput infantis prae omnibus tuearis, cujus lectulus munditie quam maxima semper gaudeat. Oculis jaceat infans nudis, inopertis, nullo pulvillo molestatis, nullaque plagula obtectis, qua nutrices et curatrices, ut muscarum turba prohibeatur, infantis caput velare libenter solent. Haec praecepta, etsi minutula ac nimis nugatoria tibi videantur, maximi tamen sunt momenti, quippe cum solis his cautelis aegritudinis auctus, contagii progressus arceri queant.

Ubi autem terrarum aëris aut loci conditio peculiaris huic morbo nascenti crescentique nimis faveat, (memineris Britanniam nebulas ac vapores humidos agentem) considerando eo majori studio alia supra jam dicta praecepta, singulis infantibus singulos opus esse lectulos, ne consortione ac concubitu contagium in sanos vel alio morbo laborantes progrediatur, facile intelligimus.

---

[1]) *Fabini* l. c. [2]) *Benedict* l. c. [3]) *Mende* l. c. p. 328.

Qualem prae se ferat haec ophthalmia speciem, utrum sit epidemica, an sporadica, easdem prophylaxeos leges sequaris. Collocentur, si fieri possit, infantes hac ophthalmia tentati lectulis propriis atque in cubiculis remotis solitarii, verumtamen et ii infantes, sani quidem, sed qui antea cum aegrotantibus fuerunt consociati, segregari et per tempus quoddam observari debent. Hac sola agendi ratione praecavebis, ne mucus profluens in oculum sani infantis ipse transferatur, vel contagium pulvillos inficiens propagetur, deinde ne res purgamento expositae, lintea nimirum, spongiae, solia vel aqua impura etc. ex improviso commutentur. Nec minoris sunt sequentes habendae leges. Infantibus aegris lavandis solium inserviat proprium, et ubi sani infantes propria desiderant, hi prius, quam illi, ab ophthalmia correpti, in balneola demittantur, necesse est. Aqua autem, qua morbosi infantes sunt lauti, statim effusa, solium ipsum aqua pura diligentissime purgetur, detergeaturque. Ad haec animum attendere debent et medici et nutrices et cultrices infantum, qui, postquam aegrotos infantes tractaverint, ne impuri vel sordidi vel illoti sanos aggrediantur, summopere provideant. Mammam, ex qua aegrotus infans lac semel biberit, sanis deinde lactentibus praebere, hoc severissima voce sit vetitum.

Res omnes, quae infantibus ophthalmia adhuc affectis, iisve hoc morbo nuper liberatis, adhibitae sunt, maximo studio purgentur, quae vero purgari nequeunt, deleantur. Necesse igitur est, pulvillos purgari, et non sola superindumenta lavari, sed plumulas etiam ipsas proprio modo perpurgari aërique exponi. Neque omittantur multae minutiae, lintea nimirum, penicilla, spongiolae, quae aboleantur et siphunculi, qui omni diligentia mundentur.

§. 13.

Cautelae, quae in majocomio Caritatis exercentur.

Omnia haec prophylactica, quae tibi, L. B., protuli, jubente Illustr. *Kluge*, directore majocomii Caritatis celeberrimo, praeceptore pie venerando, in puerperarum cubiculis ac valetudinariis stricte maximo studio adhibentur. Vir ille rerum medicarum peritissimus, quum substantias animales ad contagium

quoddam excipiendum ac transferendum, caloremque facile augendum vegetabilibus esse proniores, sibi persuaserit, pulvillos plumulis refertos rejiciens, infantibus singulis sacculos foeno repletos comparat, quorum contentum esse renovandum, jubet, simulac infans, etsi sanus, lectum reliquerit. Hac ratione stragulis ad lodiculis confectis, infantum, ne frigore tentarentur, lectulo calefaciendo vasculum aqua calida impletum addi, jam dudum est Illustr. *Kluge* praescriptum. Quam agendi rationem infantibus hucusque optime inserviisse, iisque nullo fuisse incommodo, observationes in nosocomio caritatis factae sat superque docent.

VITA MEA.

Ego, AUGUSTUS ADOLPHUS SEEMANN, Goldappi, Borussiae orientalis oppido, die XXIX. mensis Decembris. anno millesimo octingentesimo tertio, patre SAMUELE et matre e gente GUFERIANA, natus, confessioni evangelicae addictus sum. Primis litterarum elementis tum domi, tum Gumbinnam profectus, ibidem scholis inferioribus ab octavo aetatis anno eruditus, gymnasium Chronopolitanum anno aetatis undecimo petii, ejusque classes inferiores per tres annos frequentavi et dimidium. Cum patre autem Gumbinnam regressus per idem temporis spatium superiores gymnasii, hoc oppido florentis, classes frequentavi. Tum Berolinum me contuli anno millesimo octingentesimo vicesimo secundo mense Octobri, ubi inter cives Instituti regii medico-chirurgici Friderico-Guilelmiani receptus, per quadriennium his praelectionibus interfui virorum summorum:

Cel. WOLFF de logice et psychologia disserentem audivi, de methodologia et encyclopaedia medica, de anatomia corporis humani universa, de anatomia organorum sensuum, de anatomia comparata et pathologica scholis Illustr. RUDOLPHI interfui. Osteologiae, splanchnologiae, syndesmologiae et anthropologiae forensis praecepta accepi ab Illustr. KNAPF. Eodem et Illustr. RUDOLPHI in arte cadavera rite dissecandi praeceptoribus gavisus sum. Artem formulas medicinales concinnandi mihi tradiderunt Illustr. KNAPE et Cel. CASPAR,

quippe qui artem quoque medicamina praeparandi me edocuit. Botanicen, historiam naturalem universam nec non pharmacologiam Illustr. LINK, zoologiam Illustr. LICHTENSTEIN, ejusque partem de entozois Illustr. RUDOLPHI; physicen, chemiam et pharmaciam Cel. TURTE, Illustr. ERMAN et Illustr. HERMBSTAEDT mihi tradiderunt. De physiologia, tam generali quam speciali, Cel. ECK et Illustr. RUDOLPHI praelectionibus adfui. Pathologiae generalis, semiotices Illustr. FR. HUFELAND, therapiae, tam generalis, quam specialis, Illustr. Illustr. W. et FR. HUFELAND, pathologiae specialis et de morbis mentis nec non syphiliticis doctrinae Illustr. HORN praeceptores fuerunt. Materiam medicam Ilustr. OSANN, toxicologiam Cel. SCHUBARTH mihi tradiderunt. Celsi de medicina libros Cel. HECKER et Hippocratis aphorismos Beat. BEHRENDS mihi interpretati sunt. Chirurgiam generalem, fascias applicandi praecepta, de ossibus fractis et luxatis doctrinam, artemque obstetriciam Illustr. KLUGE me docuit. Tradidere mihi ophthalmiatricen Illustr. JUENGKEN, chirurgiam specialem Illustr. RUST, akiurgiam Illustr. DE GRAEFE, RUST et KLUGE. Adfui exercitationibus clinicis medicis Illustr. W. HUFELAND, NEUMANN, chirurgicis Illustr. DE GRAEFE, RUST et KLUGE.

His studiis peractis in nosodochio caritatis Berolinensi per annum medico-chirurgi inferioris munere functus sum.

Jam vero tentamine atque examine rigoroso coram gratioso medicorum ordine absolutis, spero, fore, ut hac dissertatione publice defensa, summi in medicina et chirurgia honores rite mihi concedantur. Quo facto Moguntiam me conferre jussus sum, ut medico-chirurgi inferioris munera apud milites suscipiam.

THESES DEFENDENDAE.

1. *Calor animalis respirationi debetur.*
2. *Gas azoticum inter respirationem resorbetur.*
3. *Febris puerperalis fere semper methodum sanandi antigastricam requirit.*
4. *Haemorrhagiae inter partum exortae remediis solummodo externis sunt sedandae.*